



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Monvmenta Paderbornensia

Ferdinand <II., Paderborn, Bischof>

Paderbornae, 1669

11. Nobilius Nvllvs Me Capvt Amnis Habet.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11425

les commoti graviter, cives cœperunt persequi, & cosperseguendo insatiabiliter grassari. Et nisi regia potestate retinerentur, omnes usque ad internacionem prosequerentur. Cum plurima igitur difficultate sedato tumultu, castigatisque illis quorum stultitia causa seditionis exstiterit: inde rex Dinsberg properat, & illic Lothariensem adventum expectat.

II. NOBILIVS NVLLVS ME CAPVT AMNI\$ HABET. Præter Pontificis Max. Imperatorum & regum hospitium, externorum principum legationes, Francorum & Saxonum conventus, & castrorum metationes caput Paderrenobilitat singularis amœnitas, & aquarum copia vix usquam uberior admirabiliorque, in Panegyrico Paderbor. Joannis Horrionis ad vivum depicta lib. II. cap. VII. Quod si, ut est apud Strabonem, Gymnasio liberalium artium, quod erat Tharsi in Cilicia Cydnus amnis, cuius saluberrima aqua ferebatur, plurimum celebritatis attulit, nihilne habebit ad illustrandam Paderbornæ Academiam, hæc salubrium fontium copia, quibus ambigere possis, plusne palati, & valetudinis, an aspectus, & voluptatis gratia delecteris? Neque enim sentio quæ possit species esse jucundior, quam trium fontium in media urbe, ex eodem colle, modico intervallo exorientium, tantamque subito vim aquarum erumpentium, ut, non modicis effusi roris, ante in unum alveum visendo sanè agmine confluant, complurēisque molas frumentarias prius versent, quam se effundant è mænibus. Quanta amœnitas singulorum cum seorsim fluunt? quanta omnium cum uno amne labuntur? quam juvat aquam ipsam omni crystallo puriorem intueri, & innascentes viridissimas herbulas numerare? quale spectaculum anaticulas, & cygnos videre in medijs undis pendulos, suspensa cauda, nitentibus contra profluentem pedibus, prono rostro pescantes? quæ voluptas ne sævæ quidem brumæ in-

clementia

clementia unquam eripitur. Quia enim tempestate nive omnia fœda sunt, & gelu, non modo intra urbem, sed etiam non modico foris spatio, ne secundum quidem ripas, ut fert mos ceterorum amnium, vel in tenuissimas crustas conglaciat. Quid quod eodem tempore peregrinas aves ad se noster amnis allicit, quæ fluijs assuetæ, ubi glacie ceteris prohibentur, ad hunc confugiunt? Æstate verò, potestne quicquam illis viridarijs, hortis, pomarijs, quibus utraque ejus ripa prætextitur, esse formosius? Non enim nunc vacat aquam commemorare tota prope urbe per canales singulari artificio dispensatam, non salientes fontes, non piscinas, non lavatrinæ, non sexcenta commoda. Quod si collibitum erit egredi urbe, quem non delectet cursum ejus prosequi, modo pleno incidentis amne, modo divisis quasi copijs insulas ambientis, modo vario flexu, & grato errore per virentia prata serpentis, modo limpidissimos rivos amplectentis sinu, modo celeberrimum Romanis annalibus flumen Luppiam, vel cum jactura sui nominis generantis? Sed concludamus has Paderæ notas insigni elogio Gobel. Personæ in Cosmodr. Ætat. 6. cap. 38. quod ipse ab antiquo scriptore Vitæ S. Liborij est mutatus. Ad hunc locum Karolus sepe divertit, quoniam ut scribit quidam, qui postea in eodem loco, tempore Arnulphi regis, vitam duxit religiosam HIC LOCVS VIRIS OMNI NOBILITATE GENERIS ANIMIQUE SEMPER INSLIGNIBVS ABUNDABAT, VT NON ESSET DVBIUM, QVIN PATRIA CIVIBVS ET CIVES PATRIÆ CONGRVERENT, AC SIBI VTRINQUE ORNAMENTO FORENT.

O 2

DRIBVR-